



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

Puteanus, Erycius

Antverpiæ, 1617

Υ. Christvs Sol, Maria Luna. Virginis Protevm satis non fuisse, nisi & Filij
accederet. Vtriusque consideratio. Noua numerorum mysteria, & miracula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

se. Proteus ille tuus mille viginti duo ora, totidemque linguas habet, & adhuc elinguis est: sideribus cæli Dotes Virginis comparatæ sunt, & ad exiguum veniunt. Tot sint cæli, quot stellæ, & ordiri encomium poteris: tot sint Protei, quot versus, & loqui incipies. Quid nunc dicam igitur? Voluisti laudare Virginem; hoc est laudare.

T H A V M A Y.

CHRISTVS Sol, MARIA Luna. Virginis Proteum satis non fuisse, nisi & Filij accederet. Vtriusque consideratio. Nova numerorum mysteria, & miracula.

CAELVM in terram descendere, & è Lunâ nasci Solem! Quia Deus ad homines venit, venisse cælum arbitror: quia Sol CHRISTVS est, Lunam MARIAM esse. Sol CHRISTVS, & cælum illustrat: Luna MARIA, & cælo illustratur. Sol communionem naturæ noster est, & diem facit: Luna nostra, & noctem tollit. Cæli beneficio Diuinitatis miraculum designatur. Noctem cælum nullam habet; dies in terris nocte distinguitur. Ita est, caliginem suam vita humana habet: diuina, pleno & perpetuo iubare donata est. Satis igitur Pietati non fuit, inuenire Proteum, qui Lunæ pulchritudinem, stellarum omnium vultu indicaret: inuenit, qui ad infinitum accederet, &
innu-

innumeris penitus formis diuinam æterni Solis faciem repræsentaret. Iunxit Solem Lunæ, Proteum Proteo; & Virginem Dei laudibus, Deum Virginis extulit. Quantum in Deo hîc laudatur, Virgo complexa est; Deum enim complexa quantum in Virgine, infinito accedit; Deus infinitus est. MARIAE Proteus millies bis & vices conuerti potest, sensu & metro saluis; CHRISTI Proteus, tricies sexies centies millies, vices octies millies, & octingenties potest:

Rex, dux, Sol, lex, lux, fons, spes, pax, mons, petra,

CHRISTVS.

O mirum! ô ter mirum! Quid non mens æternitatem cogitans potest? ad immensum se erigit, hæc Virgo est; ad infinitum, hic Deus est. in immenso decor vincit, in infinito numerus. Hoc mirum quoque: plus Vates præstitit, vbi minorem complexus est summam; minus, vbi maiorem. Et an mirum tamen? ad infinitum nullo accedes numero; ad immensum numerus stellarum gradus est. Itaque amplius puto, in mille Proteum Parthenium formas verti, vt Virgo celebretur; quàm in tricies sexies centenas millenas, vt perfectam imaginem Deus accipiat. Regem, ducem, Solem, legem, lucem, fontem, spem, pacem, montem, petram Deum nomina, adhuc totus non est. & vin' vt vnâ totum voce exprimam? CHRISTVS EST. Ita hîc quoque monas

O 2 deca-

decadem superat. Vnus est Deus, in quo sunt omnia, & à quo: vnus, & infinitus. Virginis item Proteus, quia Dotium & siderum comparationem habet, non minùs mysterio, quàm numero versuum variatur. In imaginem stellas deducit, & tot adsciscit imagines, quot palantes polo stellæ sunt. Prorsus circumscriptum siderum chororum transcendere carmen non poterat, nisi vt varietatis miraculum imminueretur. Imò, si res dicenda est, pulchrius hîc erat, æquare stellas, quàm excêdere. maius, immensi numerum pictâ & stellatâ cæli copiâ prosequi, quàm infiniti copiam simplici verborum numero accedere. Immensum illud, vt dixi, Virgo est; infinitum, Deus. Virgo cæli imagine, Deus nullâ adumbratur. Ad summam, si formarum spectem pretium, pulchritudine suâ Marianus exsurgit Proteus. Omnino, quam laudat, refert: formosus est.

T H A V M A Φ.

Virginem laudat, qui adorat; adorat, qui laudat. Angelica Salutationis verba, ac mysteria in Proteo. Τὸ χάριεν, Plenitudo gratia, Præsentia Dei.

NON simplici cultu Pietas contenta est: vt laudet Virginem, adorât; vt adoret, laudat. Pium puta Proteum, hoc agit: laudat Virginem, sed